EXAMINA. SOLEMNIA.

GYMNASII. FRANCOFURTENSIS.

J U S S U. E T. A U C T O R I T A T E.

SUMME. VENERANDI. CONSISTORII.

AUG. CONF.

H O C. I P S O. A U T U M N O.

PUBLICE. CELEBRANDA.

EA. QUA. DECET. PIETATE. ET. OBSERVANTIA.

INDICIT.

Dr. Ioannes. Theodorus. Vœmelius.

Rector et Professor.

FRANCOFURTI. AD MŒN. MDCCCXXXIV.

T Y P I S H E N R. L U D. O V. B R Œ N N E R I.

1834.

Notitia Codicum Demosthenicorum III.

De Codicibus meis.

Bern. **B**ernensis codicis conditionem Ferdinandus Hauthalius, Horatiana carmina restituturus quum Bernae commoraretur, peritissime et humanissime per epistolam sponte nobis missam exposuit sic:

„Cod. N. 690 in octonis minoribus chartaceis conscriptus, ad saeculum XVI pertinens. In primo enim folio, quod Textui q. v. praemissum est, ab eadem manu, quae istum exaravit, bis annum 1538 notatum invenis; utpote quod a Gallo factum esse ex eo patere mihi videtur, quod haec ipsa manus eodem atramento inter hos duos anni illius numeros verba Gallica (alia Graeca et Latina in eadem pagina leguntur) posuit, quae (l'unziesme jour du moys de Janvier....) diem nescio quam indicant. Haec autem codex habet: Incipit absque omni ornamento et sine ulla inscriptione, et ipsâ vitâ oratoris omissâ, cum Olynth. I: *ντι πολλῶν κ. τ. λ.* Litera initialis desideratur. Hanc orationem excipit in fol. 3 Olynth. II hoc Titulo ornata: *Δημο ὀλυνθια* 2. Fol. 7 Olynth. III, quae inscriptione caret. Fol. 12 Phil. I, ita inscripta: *δημο. κατὰ φιλ. λόγος α'*. Fol. 17 *ὁ περὶ εἰρήνης λόγος*. Fol. 20 *κατὰ*

φιλιπ. λόγος 2. Fol. 23 sine Titulo, quae est oratio de Halonneso. Fol. 26 ὁ περὶ τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ λόγος. Fol. 33 κατὰ φιλίππου λόγος γ΄. Fol. 37 κατὰ φιλ. ἐπιστολὴν λόγος. [et ipsa Epistola Philippi]. Fol. 48 — 51 ὁ περὶ τῆς συντάξεως λόγος. Cetera Demosthenis non leguntur in codice. Adsunt tamen, quae Sinnerus (Catal. Mscr. Bern. I p. 368), ut saepius ei male accidit, notare omnino oblitus est, novem alia graeca folia affixa, ad quorum septem priora describenda, omnino Titulo quum careant, ipsum eorum argumentum vestigii loco mihi inserviebat. Exhibent autem fragmenta duo, quantum video, ex Platonis Phaedro, vide a p. 231 E. verbis περὶ μὲν τῶν ἐμῶν πραγμάτων usque ad p. 234 C. παραλελεῖφθαι ἐρῶτα. Pergit parvo spatio interposito p. 237 B. ἦν οὕτω δὴ παῖς et recte procedit usque ad p. 242 A. μεῖζον ἀναγκασθῆναι. De duobus, quae hoc quintum excipiunt, foliis non habeo certum quod judicem, quum ea neque in Demosthenis λογ. ἐρωτ. neque in Platonis vel Convivio vel in eodem Phaedro invenerim. Incipiunt autem: ὅπως δὲ καὶ ἔτι μᾶλλων (sic) εὐφραίνης βούλομαι αὔτω (sic) μαρτυρῆσαι.. et exeunt ita: πρόξενοι δὲ καὶ κατάγονται ἀεὶ παρά σοι οἱ κράτιστοι αὐτῶν. Foliorum duorum, quae extremo loco posita sunt, prius numeros habet cardinales Graecos eorumque nomina significationesque per literas, in altera pagina; in altera autem Graecos menses, etymologiâ eorum appositâ, subscriptisque Romanis mensium denominationibus. In novissimo folio Calendaria et Romanorum et Graecorum juxta se posita conspiciuntur.

Scriptura, quae parvis quidem, planis tamen literis atque cum paucissimis scribendi compendiis, fusco atramento, angustissimis 40—50 lineis in quaque pagina atque ab una manu exarata

est, exercitatum non minus quam diligentem et doctum scribam arguit. Accentus enim rectissime positi sunt, atque vitia e vecordia profecta non offendi. De scripturae charactere nihil opus est dicere, quia ab ea, quae jam nunc in usu est, minime fere recedit. Scribit *ἀεὶ, ῥαδίως* sine jota subscr., quod etiam in aliis verbis nonnunquam omittit. Inconstanter *ἄνθρωπος* et *ἄντρωπος, τετταλός* etc. Ad membra sententiarum dividenda puncto et commate, rarius signo interrogandi utitur, signis distinguendi nunquam. Scholia pauciora a 1. manu, pallidiori autem atramento ad margines codicis adspersa sunt." Haec Hauthalius doctissimus. Ex ejusdem ratione ac disciplina cum Dindorfiana Editione eum codicem contulit F. L. Wurstembergerus Bernensis Theologus eruditus. Codex plenas formas amat, Elisionem respuens et *ν ἐφελκυστικὸν* negligens. *ἡμεῖς* pro *ὑμεῖς* praeferens v. c. Phil. II p. 73 §. 31 *ἐρῶ πρὸς ἡμᾶς,* prorsus ut Aldina, quacum tantopere conspirat, ut de libro expresso repetitus esse videatur. Quare in posterum ejus varietate supersedebo.

De Lindenbrogiano vid. supra P. I p. 12 in capite de Appendice Francofurtana.

Rehd. Codex quondam Andreae Dudithii, postea Thomae Rehdigeri*), nunc in Bibliothecâ Elisabethani Vratislaviensis

---

*) Varie idem nomen scribitur: olim Rudinger, Redinger, Rhedinger, postea Rhediger. Vide Wachler. mox cit. p. 3 not. 4. Cf. Thomae Rhedigeri Testamentum ibid. p. 70 sq.

Nro. 134. In membranis quadruplicatis, foliorum 166 (non 173), literis minutis nitide exaratus, Saeculi XIV exeuntis judicante Passowio. Est idem ille Vratislaviensis, cujus copiam roganti sibi negatam esse queritur Reiskius Praef. Vol. I p. LVIII. Sed mea gratia Passowio τῷ μακαρίτῃ, quem iterum honoris causa nomino, commovente Julius Heldius diligentissimus cum Editione I. Bekkeri libentissime et accuratissime totum contulit. Philippicae I varietatem Lectionis repetiit in libro eximio, qui inscribitur „Annotationes in Dem. Phil. I.“ Continentur autem eo codice fol. 1—4 vita Demosthenis Julio Heldio affirmante inedita. Folia 5 et 6 sunt vacua; fol. 7—11 vita Demosthenis alia item inedita, quam utramque vitam Heldius annexurus est Editioni Philippicae I^ae^. Fol. 12—15 Argumentum in Olynth. I. Folium 16 est vacuum. Fol. 17 — 164 orationes cum Argumentis hae: Olynth. I—III, Phil. I, Pac., Phil. II, Halonn., Phil. III—IV, orat. adv. Epist. Phil., Chers., Symm., Synt., Megal., Rhod., Foed. Alex., Phil. Epist. Folio duo ultima sunt vacua. Aliquot orationes duobus tantum tribusve locis glossas ab alia manu additas habent, or. de Megalop. nihil. Glossarum utilitas nulla. Cf. Catalog. in Albrechti Wachleri Vita Rehdigeri p. 42. Passow. in Praef. ad Rauchensteinii Dissert. De Ordine Olynth. p. VII sqq., ubi varietas Lectionis Philippicae I descripta est. Non magna quidem ejus codicis auctoritas, nec tamen ultimum locum liber is occupat, nonnunquam enim cum paucis optimis conspirat. Sed ab indocto et oscitanti scriba exaratus. Insunt multi lapsus calami aliique errores orti ex Itacismo, Accentùs pronuntiatione et compendiorum negligentiâ. Amat omittere ἄνδρες in formula ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, sicut Harleianus, quocum etiam in aliis consentit, et ut Parisini

ε, η, ϑ, Vind. 4, Vulc., Per., Aug. 1. Etiam alia et necessaria omittit socors scriba, praecipue Articulum, v. c. Phil. II §. 10 τὰ ante πρὸ. Ibid. §. 14 τοὺς ante Θηβαίους. Iota, ubi accuratiores apponere vel subscribere solent, respuit exceptis octo decemve locis. Elisionis vocalium negligentior vix alius.

Vict. Petrus Victorius praeter alios multos codices Demosthenicum possedit, qui nunc Monachii in Bibliotheca regia conservatur Nro. CLXXII et ab Ignatio Hardtio ita recensetur (in Aretini Beiträge Vol. III Sect. 5 p. 41. Catal. Bibl. Mscr. reg. Bavar. Vol. I P. II p. 207 sq.): „Chartâ crassâ et levigatâ, scripturâ minutâ et eleganti, in folio [minore], foliorum numero 70, P. Victorii notis marginalibus et interlinearibus illustratus [graecis et latinis, quae multis compendiis et literis difficile legendis scriptae sunt], Saeculi XV, bene conservatus.“ Continet Demosthenis Olynth. I — III, Phil. I et Pac. Praeterea Lysiae orat. pro caede Eratosthenis. Absunt Libanii Argumenta. Jota subscribere nonnunquam neglectum est. Saepius plene quam praecise vocabula ante vocalem scripta sunt. Praepositiones cum suo casu junctim connexae hae: καϑέκαστα, τοκαταρχὰς, καταμέρος, παραχρῆμα, διαταῦτα. In Olynthiacis αἰεὶ, in Philipp. I et Pac. ἀεὶ, ita quoque Olynth. I §. 9. Codex exhibet plerumque vulgarem lectionem.

Vict. a et *Vict. b.* Sed contulit eum Victorius cum aliis duobus longe praestantioribus et plerumque secum consentientibus, quos ipse *a* et *b* notavit passimque nominavit libros antiquos, et varietatem illi codici sua manu adscripsit.

Annotationes reliquas ex Hermogenis aliorumque rhetorum, etiam e Ciceronis, Aristotelis, Platonis, Terentii rel. locis Vi-

ctorius conflavit. Specimen earum Primo Editionis Volumini adjecimus. Cujus Voluminis vid. Praef. p. XVI sqq. In nostros usus codex Monachio transportatus erat jubente Maximiliano de Lerchenfeld-Aham Barone illustrissimo.

De Vindobonensibus. Abrahamus Camondo, quem juvenem honestum, assiduum, doctum Cholera Morbus anno 1832 literis et amicis evocavit, in meum commodum singulari dexteritate Vindobonenses codices Demosthenicos excussit et varietatem lectionis ad Dindorfianae oram adscripsit, idemque imaginem literarum illorum codicum accuratissime pinxit, qualem lapidi incidendam et nostrae dissertationi addendam curavimus. Quam imaginem Carolo Benedicto Hasio Instituti Regii Franciae socio doctissimo, Codicum Parisinorum Conservatori celeberrimo, atque Palaeographiae omnium qui nunc vivunt peritissimo, transmisi rogans, ut aetatem nostrorum codicum Vindobonensium nos doceret. Ea qua est humanitate et elegantia non frustra rogatus, summo studio rem explanavit.

Vind. 1. *Vind.* 2. *Vind.* 6. In Caesarea Bibliotheca Codex Graecus LXX chartaceus. Vid. Nessel. Catal. P. IV p. 41. Reimann. Bibl. Acroamat. Cod. XXXII p. 710. Tribus ejusdem Saeculi XV partibus constat, quas quis supplementi causa e diversis codicibus compegit. Totum Volumen constat foliis 241 (non 239) in Folio. Prima pars, nobis

Vind. 1, Graeci manu scripta, constans foliis 49, continentur fol. 1 [a] *ὀλυνθιακος ᾱ.* Fol. 3 [a] *ὀλυνθ. γ.* Fol. 6 [a] *ὀλυνθιι. β.* Cf. Zimmermanni Diar. Scholast. 1832 II Nro. 94 p. 753. sq. Fol. 10 [b] Phil. I. Fol. 14 [b] Phil II. Fol. 17 [b] Phil. III. Fol. 22 [b] Phil. IV. Fol. 28 [b] Pac. Fol. 30 [a] Chers. Fol. 36 [a] Halonn.

Fol. 39 [a] adv. Epist. Phil. Fol. 41 [a] Epist. Phil. Fol. 43 [a] Synt. Fol. 46 [a] Symm. Fol. 49 [b] initium orationis pro Rhod. libert.— Fol. 6 [b], 7 [a], 9 [b] et 10 [a] sunt vacua, sed nihil deest, ut a manu recenti monetur. Charta hujus primae partis est sufflava, non levigata; notas in margine extremo scriptas culter bibliopegi abscidit. Literarum color est subfuscus, forma apparet in Tab. I Nro. 1. Scriba amavit compendia, etiam in mediis vocabulis, iota nunquam subscripsit. Pro *αμ* saepe occurrit *ᾱ*. Correctores varietatem lectionis addiderunt; scriba vero primus ubi in exemplari suo varietatem super vocabulum aliquod invenerat, utrumque uno versu conjunxit et Glossas Textui inseruit. Etiam scripsit *ἐβερτήσει, πολιτεβομένους*. Extremas quoque syllabas aliquoties omisit, ut *μάλι* pro *μάλιστα, Ἀπολλωνί* pro *Ἀπολλωνίδῃ*. Multi lapsus a secunda manu correcti sunt, ut saepissime *σθε* pro *σθαι*, *τε* pro *ται*, *οι* pro *η* (*τοῖς* pro *τῆς*, *ἐκεῖνοι* pro *ἐκείνη*), *ει* pro *η* (*προειρηται* pro *προήρηται*) et versa vice. *αὐτὸν ὅμοι* solenniter pro *αὐτόνομοι*. Pro *ἐὰν* praefert *ἂν*. Legitur *γίνεσθαι* et *γινώσκω*. Exemplar autem illud saepissime solum confirmat lectionem codicis *Σ*.

Secunda pars, nobis *Vind.* 2, manu occidentalis et pennâ scripta fol. 50 [a] praecedenti annectitur incipiens *ἐπιχειρῇ, καὶ οὐκ ἐγὼ* ex oratione pro Rhod. Libert., quae desinit fol. 51 [b] medio. Fol. 52 [a] est vacuum. Fol. 52 [b] continet Libanii Argumentum in Mid., et orationis Midianae initium, desinens verbis *ἀσέβειαν, ἐπειδὴ*. Charta hujus secundi codicis est alba, firma, aspera. Margo angustissimus. Literarum color est vehementer ater; forma apparet in Tab. I Nro. 2. Jota rite subscribitur.

Tertia pars, nobis *Vind.* 6, calamo et audaciore Graeci manu

scripta, foliis 53 — 200 constans, continet fol. 53 a reliquam Libanii Argumenti in Mid. partem, quae incipit *χορηγὸς ὁ.* Post quod Argumentum sequitur *ἄλλως ὑπόθεσις τοῦ κατὰ μειδίου λόγου δημοσθένους περὶ τοῦ κονδύλου* rubro. Fol. 53 a oratio in Midiam. Fol. 89 a Argumentum in orat. de Coron. Fol. 89 b oratio de Coron. Fol. 112 a Argumentum in Aristocr. Fol. 112 b orat. in Aristocr. Fol. 129 b Argum. in Timocr. Fol. 130 a orat. in Timocr. Fol. 150 b Argum. in Fals. Legat. Fol. 151 a *ἐξήγησις* in eandem orationem, ipsa oratio non inest. Fol. 168 b Argum. in Lept. Fol. 169 b orat. in Lept. Fol. 190 b in ima ora: *τέλος τῶν δικανικῶν.* — In his omnibus tertiae partis orationibus textus per Ulpiani exegesin ita interruptus est, ut textùs verbis praeponatur *κείμενον* rubro, scholiis *ἐξήγησις* item rubro. In deliberativis orationibus, quas reliqua folia continent, scholiastae explicatio orae adscripta est. Fol. 191 a Synt. Fol. 193 a Symm. Fol. 195 a Megalop. Fol. 197 a Rhod. Fol. 199 a Foed. Alex., quae oratio desinit in fol. 200 b. Folia 201 — 204 vacua sunt. Fol. 205 — 241 Rhetorica Josephi Rhacondytae, de quo vide Gesneri Biblioth. s. v. Josephus Rh. Charta tertiae partis est levigata, firma, subflava, partim albida. Literarum formam exhibuimus in Tab. I No. 3. Tituli rubro picti sunt. Correctoris manus rara, et nullibi nisi in ora. Jota nunquam subscribitur. Fol. 53 — 169, quae Mid., Cor., Aristocr., Timocr., Lept. et Argum. in or. Fals. Leg. continent, jam in Taylori commodum neque vero accurate collata sunt „curis Bricherii Columbi Finariensis Comite de Granville apud Imperatricem Mariam Thesiam intercedente.“ Leptineae varietatem exhibuit Taylorus p. 660.

Vind. 3. Ibidem Codex Graecus CI. Nessel. loc. cit. p. 59.

Reimann. loc. cit. p. 715 Cod. XLVIII Philolog. Charta crassa, aspera, satis alba. Initiales et Tituli rubro. Literarum reliquarum color satis ater, forma vid. in Tab. III Nro 1. Manu Byzantini exulis. Saeculi XV extremi. In Folio longo et angusto. Constat foliis 358. Continentur Libanii vita Demosthenis, Olynth. I — III, Phil. I, Pac., Phil. II, Chers., Phil. III — IV, Epist. Phil., orat. adv. Epist. Phil., cum Libanii Argumentis. Synt. et Symm. sine Argumentis. Rhod. cum Libanii Argumento. Megalop. et Foed. Alex. sine Argumentis. Coron. cum Libanii Argumento. Fals. Leg. sine Argumento. Jota nonnunquam subscriptum est. *μὴ δὲ* frequens. Conjunguntur *διατί*, *διαταῦτα*, *μεταταῦτα*, *καθένα*, *καθέκαστον*, *κατακράτος*, *καθόλου*. in priore parte *αἰεὶ*, in posteriore *ἀεὶ*, nonnunquam *ὅτ᾽ ἄν*. Striblígines ex Itacismo: *αὔξιν* pro *αὔξειν*. *παραστεῖναι*. *δεινότιτα*. *ἐπιδὴ*. *ἐπείγγελλε*. *διονησίω*. *τοῖς κοινῆς*. *διεκωλήθη*. *κύρυκες*. Aliae: *ἀπόλεσε*. *μείζωνι*. *ποίσετε* etc. In singulis verbis lacunae occurrunt. Literae spuriae puncto imposito notantur. Codex parvae auctoritatis a multis est correctus.

In prima pagina, qua nomina mensium Atticorum et index orationum eo codice contentarum produntur, schedula est agglutinata, qua haec leguntur: „Nro. 25. Michaëlis Molini et sociorum post Sambucum.“ In secunda pagina media: „I. Sambuci Tyrnaviensis.“ Itaque codicem olim possedit Sambucus Hungarus doctissimus atque celeberrimus Historiographus Caesareus, Viennae mortuus a. 1584. Ejus complures codices Graeci Viennae in Caesarea Bibliotheca conservantur. — In folio 9 ab alia manu scriptum est *θεοδοσ κομ του κορινθ* i. e. Theodosii Cometae(?) Corinthii, quem ignoramus.

Vind. 4. Ibidem codex Graecus CV, olim ab Augerio de Busbecke comparatus Constantinopoli. Nessel. loc. cit. p. 62. Reimann. loc. cit. p. 716 Cod. LI Philolog.* Foliorum 155 (non 175), in Folio minore, male conservatus. Charta bombycina, crassa, levigata flavescit e subfusco (ist bräunlich gelb), margo est fuscus et a vermibus corrosus. Initiales rubro scriptae. Cum scholiis vulgaribus, quae minutissimis literis scripta sunt, et cum notis diversarum manuum. Ductus literarum similis est Autographis Nicephori Gregorae in Bibliotheca regia Parisina conservatis; est igitur Saeculi XIV medii. Continentur fol. 1 [a] lacerato nomina mensium diversarum gentium. Fol. 1 [b] index ora-

*) Quae Augerius Gislenius Busbequius de Inscriptionibus et numis Constantinopoli a se legato collectis in Itinerario Constantinopolitano sive Epist. Legationis Turcicae IV[a] in fine Francofurti 16 Dec. 1562 scripsit, huc pertinent: „Reporto magnam farraginem veterum numismatum, quorum praecipuis donabo dominum meum. Ad haec, librorum Graecorum manuscriptorum tota plaustra, totas naves. Sunt credo libri haud multo infra 240, quos mari transmisi Venetias, ut inde Viennam deportarentur. Nam Caesareae Bibliothecae eos destinavi. sunt aliquot non contemnendi, communes multi. Converri omnes angulos, ut, quidquid restabat hujusmodi mercis, tanquam novissimo specilegio cogerem. Unum reliqui Constantinopoli decrepitae vetustatis, totum descriptum litera majuscula, Dioscoridem cum depictis plantarum figuris, in quo sunt paucula quaedam, ni fallor, Cratevae, et libellus de avibus. Is est penes Judaeum Hamonis, dum viveret, Suleimanni medici filium, quem ego emptum cupivissem, sed me deterruit pretium. nam centum ducatis indicabatur, summa Caesarei, non mei marsupii. Ego instare non desinam, donec Caesarem [Ferdinandum I] impulero, ut tam praeclarum autorem ex illa servitute redimat.“

tionum contentarum et vita Demosthenis, quae incipit *ὁ περὶ δημοσθένους βίος τοῦ ῥήτορος* et quam e codice Parisino 2935 i. e. *Υ* Bekkeri a Schweighaeusero acceptam Reiskius edidit in oratt. Graecc. Vol. IV. extr.* Eadem inest in Veneto; in Pari-

*) Subjiciamus varietatem *Υ* ex edit. Reisk. et Vindobonensis 4:

Par. *Υ*.	Vind. 4.
P. 152 R. *ὁ περὶ Δημοσθένους*]	Item in Vind. 4, etiam *p*. Sed praepositio omissa est in Laurentiano et in Matritensi.
" " " *γένους αὐτοῦ πρῶτον*]	*γένους αὐτῷ πρῶτον*.
" " " *ἀθήναις τὸ*]	*ἀθηναίοις καὶ τὸ*. a secunda manu inserta est particula *καὶ*.
P. 153 lin. 6 *δι'*]	abest.
" " " 9 *πατρωΐου*]	*πατρώου*.
" " " 12 *μητρὶ*]	*μητρός*.
" " " 21 *προνοίας*]	evanuit.
P. 154 lin. 3 *τὸ*]	omissum.
" " " " *συνεργοῦντα*]	extremae literae evanuerunt.
" " " 6 *τὰ*]	*τὸ*.
" " " " *δυσχερῆ*]	extremae literae evanuerunt.
" " " 8 lacuna]	*περὶ τὴν ἄσκησιν*.
" " " 11 sqq. *τῶν ἡλίκων — ὑπὸ*]	omnia evanuerunt.
" " " 13 *ἑαυτῷ*]	omissum.
" " " " *βλέπηται μόνῳ*]	evanuerunt.
" " " 14 *ἔλαβεν — περὶ*]	omnia evanuerunt.
" " " 16 *πων ἀποθέσθαι*]	evanuerunt.
" " " 17 *δόξαν καὶ τῶν ἀδικ*]	evanuerunt.
" " " 20 *ἀποδ*]	evanuit.
P. 155 lin. 2 *ποτὲ*]	*τότε*.
" " " 14 *τόν τε*]	*τὸν δὲ*.
" " " 20 *παρ'*]	*παρὰ τοὺς*.
" " " 27 *μιμητὴς*]	*μιμητήν*.
" " " 28 *ἀνδρειώτατος*]	*ἀνδρειώτατον*.
P. 156 lin. 6 *αὐτὸν*]	*αὐτῷ*.

siensibus *p* et *r* Bekkeri; in Laurentiano Plut. LIX Codice VIII; et in Matritensi CXVII, de quibus infra. A Constantino Lascari, qui Matritensem eum codicem scripsit, vita illa contexta fuisse videtur Iriartio Catalogi Matritensis auctori (p. 476). At jam in vetustioribus illis codicibus invenitur. Fol. 2 [b] ὑπόθεσις ὀλυνθιακοῦ α΄. Fol. 3 [a] ὀλυνθιακὸς α. cum scholiis margin. Fol. 7 [b] ὀλυνθιακὸς β. cum Argumento et marg. scholiis. Fol. 9 [a] ὀλυνθιακὸς γ. cum Argumento et margin. scholiis. Fol. 12 [b] Phil. I cum Argumento et marg. scholiis, quae desinunt in folio 14 [a].

Par. *T*.	Vind. 4.
P. 156 lin. 12 παρῆκεν]	παρέσχεν.
„ „ „ 17 πόλεος]	πόλεως.
„ „ „ 21 καὶ τὴν πατρίδα]	omissa.
„ 157 „ 3 τε]	omissum.
„ „ „ 4 ἐθέλησε]	ἠθέλησε.
„ „ „ 9 ἐν — ἀμφί]	omnia evanuerunt.
„ „ „ 10 εἰς]	ἐς.
„ „ „ 11 ἔχειν — κεφάλ]	omnia evanuerunt.
„ „ „ 12 λων et σασθαι]	evanuerunt.
„ „ „ 13 ήνας et ξεῖναι usque ad δύνω]	evanuerunt.
„ „ „ 14 αὐτῆς]	evanuit.
„ „ „ 16 ῥοδόκητος ἔμ]	evanuerunt.
„ „ „ 18 τόν τε]	evanuerunt.
P. 158 lin. 10 πατρώιαν]	πατρῶαν.
„ „ „ 18 καταπαύσαντος]	καὶ καταπαύσαντος, sed καὶ a secunda manu insertum.
„ „ „ 22 πρός]	καί.
P. 159. lin. 4 ἐξήτει]	ἐζήτει.
„ „ „ 20 lacuna a Reiskio facta post ἴσην]	γνώμῃ ῥώμην Δημόσθενες ἔσχες, οὔποτ' ἂν ἑλλήνων ἦρξεν ἄρης (ἀνὴρ) Μακεδών. Vid. Plut. Vit. Dem. fin. et Zosimi Vit. Dem. in Reisk. Orr. Vol. IV p. 151.

Fol. 15 b de Pace, cum paucis scholiis margg. Fol. 16 a Phil. II. Fol. 18 b Halonn. Fol. 20 b περὶ τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ. Fol. 24 a Phil. III. Fol. 27 a Phil. IV. Fol. 30 a adv. Epist. Phil. Fol. 32 a Synt. Fol. 33 b Symmor. Fol. 36 b Rhod., cum scholiis margg. Fol. 37 a Megalop. Fol. 38 b Coron. Fol. 54 a fals. leg. Fol. 65 b Lept. Fol. 72 b Androt. cum scholiis. Fol. 76 a Mid. Fol. 85 a Aristocr. Fol. 94 a Timocr. cum scholiis. Fol. 103 a Aristogit. I—II cum Argum. Fol. 108 b Foed. Alex. Fol. 109 b Neaer. Fol. 115 a Amator. Fol. 117 b Funebr. Fol. 118 b δημοσθένους προοίμια δημηγορικά. Fol. 123 b τέλος προοιμίων δημηγορικῶν δημοσθένους. προοίμια τὰ αὐτὰ τοῖς προγραφεῖσι. Sequuntur eadem Prooemia, sed alio ordine et aucta. Post folium 128 alius codex annexus est, qui continet Theodori Prodromi Grammaticalia quaedam et constat foliis 27.

Forma literarum illius codicis in diversis partibus diversa est: in primis decem foliis literae sunt minores, exiliores et magis dilatatae quam in reliquis, ubi illae sunt majores, crassiores et magis coarctatae. Nec tamen certo dijudicari potest, diversâne a manu codex scriptus sit. — Terminationes et Encliticae omnes fere compendiis super lineas pictae sunt, et verba, praesertim si Apostrophus incidit, plerumque sine spatio continuantur. Vid. Tab. II Nro 1—3. Jota nusquam subscribitur nec pro subscripto adscribitur nisi in ᾤετο et ᾕρηται. Semper invenitur γίνεσθαι et γινώσκω. In formula ὦ ἄνδρες Ἀθην. omitti solet ἄνδρες ut in Harl., Rehd., Parr. ε, ϑ. Nusquam αὑτοῦ cum Aspero. Particulam ἂν discernitur a Conjunctione sic: ᾱ ν. Νέφελκυστικὸν lineolâ indicatur. Stribligines frequentes ex Itacismo. Codex est manibus tritus et a variis correctus.

Vind. 5. Codex Graecus CXXXVII. Nessel. loc. cit. p. 78. Reimann. loc. cit. p. 721 Cod. LXX Philol. Constat quartonibus 161. Charta satis alba, levigata et tenui. Literae sunt distinctae et perspicuae. Color earum nigricat e glauco. Compendia rara. Saeculi XV med. Vid. Tab. III Nro. 2. Continet foliis 3 — 68 Demosthenis orationem de Corona sine Argumento, et Argumentum orationis de Falsa Legatione. Foliis 69 — 161 Oppiani Pisces. — A variis est correctus et varietate lectionis auctus.

Fol. 1 apparet: „J. Francisci Zesti." Fol. 2 legitur: „Nro. 234. *ΔΗΜΟΣΘΕΝΟΥΣ ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝΟΥ*" et in ima ora: „J. Sambucꝰ."

Codex Graecus XX ejusdem Bibliothecae non orationes Demosthenis continet, sed scholia Ulpiani vulgaria cum iis verbis Demosthenis, ad quae scholion referendum est. Nessel. loc. cit. p. 16. Illa verba plerumque, tituli, initia, fines semper rubro scripta sunt. Initiales etiam ornatae. Codex optime conservatus. Charta nitida et levigata; margo largissimus; literae minutae, parvae, perspicuae; vocabula rite disjuncta. Jota nonnunquam subscribitur. Foliorum 121 magnae formae. Saeculi XV medii, manu Graeci et calamo. Vid. Tab. III Nro. 3. Fol. 1 [a] apparet: „Ulpianus interpres" et in imâ orâ: „Joann. Sambuci ℞", sub quo: „1559 Atrior" sequente litura quadam. Sunt illa nomina possessorum; hoc explicatur ab Hasio sagacissimo *Atriorum*. Namque Duces Atriae (Adriae) Neapolitanae sive Duces de Atri erant e gente illustrissima Aquavivarum*, quorum doctissimus et

*) De Aquavivarum Familia vid. Tiraboschii Hist. Litteraturae Italianae

fortissimus ille Andreas Matthaeus codices manuscriptos possedit v. c. Codicem Graecum nunc Viennensem IV Aristotelicum elegantissimum. Vid. Nessel. Catal. P. IV p. 4. In egestate is mortuus est anno 1529 (non 1528). Postea codicem illum Aristotelicum Nesselio teste et hunc Demosthenicum, ut Hasius acutissimus putat, ex Atriis libris Ioannes Sambucus conquisivit Tyrnaviensis. Ita enim signum post Ioannis Sambuci nomen legendum est. — In eadem pagina incipit *ἐξήγησις τῶν δημοσθηνικῶν λόγων*. Scholia in Olynth. I. Fol. 5 [a] in Olynth. II. Fol. 9 [a] in Olynth III. Fol. 12 [a] in Phil. I. Fol. 14 [a] in Phil. IV. Fol. 20 [a] Argumm. duo et fol. 21 [a] scholia in or. c. Androt. Fol. 29 [a] Argumm. duo et fol. 30 [a] scholia in Midianam. Fol. 58 [b] schol. in Coron. Fol. 65 [a] Argumentum et scholia in Aristocrateam cum multis lacunis, ubi verba Demosthenica inserenda erant. Fol. 70 [b] Argumentum in or. de Fals. Leg. Fol. 72 [a] scholia in or. de Fals. Leg. Fol. 95 [a] scholia in Synt. Fol. 115 Argumentum in Symmor. Fol. 117 [a] Argumentum in Megalop. Fol. 119 [a] excursus in orat. pro Rhod.

Ubi hunc citabam codicem, notabam *Vind.* 7.

Codex Graecus XLVIII non Demosthenis orationes continet, id quod tradidit Nesselius loc. cit. p. 33 et eo duce Reimannus loc. cit. p. 707 Cod. XX Philol. Sed insunt Sophoclis Tragoediae.

J. G. Krabingerus doctissimus Custos Bibliothecae regiae

Vol. VII p. 87 ibiq. cit. Mazzucchelli Srriptores Italian. Vol. I P. I p. 118 sqq.

Monacensis a me interrogatus respondit codices ibi nunc servatos teste Spengelio à Reiskio diligenter examinatos esse. Idem inspexit mea gratia codicem Monacensem CCCXVIII fol. 187 b., ubi Demosthenis Olynth. II. §. 10 *ὥσπερ οἰκίας — καὶ δικαίως* citatur. Cf. Antonii Melissae et Maximi Monachorum Sententt. ed. Gesner. Tigur. 1546 p. 164. — Deinde contulit ille codicem Monacensem CCCCXXIX cum eadem Gesneri Editione. Id quod grato animo commemoro. In Hardtii Catalogo p. 330 sq. Demosthenes et Diogenes perperam in folio 51 citantur, qui nominandi erant in folio 57. Sed omnino nomina hujus codicis Hardtius turbavit, id quod jam monuerat in ejus Catalogi meo exemplari docta manus Docenii Bibliothecae ejusdem quondam Praefecti.

Pariter Ludovicus Bachmannus clarissimus quum Lipsiae commoraretur, in codice m̃sto Paulinae Lipsiensis Nro. 1275, qui scholia in Homeri Iliadem continet, locos Demosthenicos a Fabricio Biblioth. Graec. Vol. XII. p. 243 indicatos summâ curâ descripsit. Qua gratia me devinctum profiteor.